Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

PODAGRA,

Quam,

Conſenſu, Juſſu & Authoritate

ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMI,
in inclytâ Univerſitate Baſileenſi,
Collegij Medici:

Pro ſummis in Arte Medicâ honoribus & Immunitatibus legitimè & ſolenniter impetrandis,

Publicæ Philiatrorum diſquiſitioni ſubjicit,

GEORGIUS FRIDERICUS ROLLWAGEN,
Heilbronnenſis.

Ad diem 20. Octobr. Anno M. DC. LXXX[illegible].
Horâ locoque conſuetis.

BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHI.

I. N. J.

§. 1.

VOx Podagra unde originem ſuam trahat, conſentiunt in hoc plurimi, eam derivari à græco vocabulo πȣ̃ς pes & ἄγρα captura, à verbo ἀγρεύειν capere, quæ junctim idem notant ac pedum capturam. Propriè autem etſi aliàs animalibus & in ſpecie avibus competat, quando earum pedes aucupis fraude irretiti, certoque loco affixi detinentur; Non malè tamen hæc ipſa, per analogiam applicatur hominibus, peculiari morbi, articulos, in ſpecie pedum, obſidentis, genere correptis, dum ii ſimiliter, quaſi compedibus injectis, libero pedum exercitio prohibentur, & potius lecto affixi tempus terere coguntur.

§. 2.

In cujus locum tamen ſubſtitui quoque conſuevit, ab Antiquitate, vox Gutta, quia quaſi guttulæ quædam à partibus ſuperioribus ad articulos ruerent, ipſi viſum fuit. Morbus item articularis, Pedum & articulorum captura. Germanico verò idiomate exprimitur per voculam: Gicht / reiſſende Gicht / das Zipperlein / die Glieder-Kranckheit / das Podagram / jocosè verò die Herren-Kranckheit / quia magis ſplendidè viventibus, quàm improbo labore victum ſuum quærentibus familiaris eſt hic affectus.

§. 3.

Acceptio autem Podagræ nunc magis generalis eſt, ita ut interdum ſumatur pro quocunque articulorum dolore, à quâcunque causâ oriundo, unde eryſipelas ſæpè Podagræ nomine venit: nunc magis ſpecialis, pro arthritide vera quidem, ſed vel univerſali, ubi

 dicunt:

dicunt: Er hat das Podagram an Händen und Füſſen / vel particu-
lari, pro Chiragrâ, Gonagrâ &c. nunc ſpecialiſſima & magis conve-
niens, pro doloribus pedum ſaltem articulos obſidentibus. Arthri-
tis verò univerſalis & particularis, quamvis ratione cauſæ conve-
niant, ſaltemque ratione partis affectæ differant, adeoque potius ar-
thritidis inſcriptio retineri potuiſſet, lubet tamen impræſentiarum
Podagram propriè dictam, utpote arthritidis frequentiorem ſpe-
ciem, & utplurimum univerſalis principium, paucis conſiderare.

§. 4.

Præmiſſis nunc iis, quæ nominis declarationem concernebant
ad ipſam realem definitionem ordine conſueto devolvimur. Et
itaque Podagra dolor pedum, & in ſpecie articulorum exquiſitiſſi-
mus, cum motus impotentiâ, per intervalla recurrens, à ſolution
continui dependens.

§. 5.

Generis loco quidem à quibuſdam poſita eſt Inflammatio, a
aliis Tumor, utraque tamen cùm non ſemper & in omni podagr
imò in principio ferè nunquam ſtatim adſint, teſte Sennerto; Do-
lor interim ſemper & in quâcunque podagrâ moleſtiſſimum & ma-
ximè urgens ſymptoma adſit, per quod ſe primariò manifeſtat, con-
venientius forſan cum B. Sennerto, Riverio aliisque plurimis Pra-
cticis, per hunc & quidem ratione partis affectæ determinatum, Po-
dagra definitur.

§. 6.

Dolor verò cùm & ratione ſubjecti & ratione cauſæ admo-
dum diverſus ſit, ita ut alius dicatur Gravativus, alius Tenſivu
Oſteocopus, Pulſatorius & cum ardoris ſenſu junctus, alius deniqu
acutus, punctorius, lancinans & lacerans: ex omnibus tamen hi
poſterior præprimis ſpecies in affectu noſtro obſervari ſolet, inte
dum cum interdum ſine pulſationis & ardoris ſenſu, quod abund
teſtantur ægrotantium diurnæ nocturnæque quærelæ.

§. 7.

Circa ſubjecti determinationem deprehenduntur Author
admodum à ſe invicem diverſi, dum alii ſupponunt intercapedin
ſive juncturas oſſium, ubi duo vel plura oſſa ſe excipiunt: alii liga-
menta oſſa invicem connectentia, alii nervos, tendines, muſculos
plerique recentiorum fibras nerveas ſeu membraneas adſtruun

R

Res tamen forſan planior erit, ſi diſtinguamus inter ſubjectum cauſæ & ſubjectum doloris, dicendo hinc: Illud eſſe lympham illam gelatinoſam ad oſſium extremitates & articulationes delatam: Hoc verò fibras nerveas & membraneas. Oſſium enim iſtas extremitates, quatenus ſunt cartilagineæ, ut & ligamenta, omni ſenſu deſtituta eſſe, hincque doloris ſubjecti nomine, indigna, probat & Experientia & Ratio. Hæc, quia homo perpetuo dolore afficeretur, quamdiu ambularet, propter mutuum partium harum attritum: Illa, quia ſine omni animalis renixu & clamore, cartilagineæ partes & ligamenta iſta, incidi poſſunt.

§. 8.

Fibræ itaque nerveæ, quemadmodum in extimâ veſte microcoſmicâ, in papillulas à Malpigh. in Tact. org. deſcriptas, coëuntes, verum & proximum tactus organon conſtituunt, ita quoque in genere has ipſas ſeu externè magis exiſtentes, ſeu in profundo latentes & in varias figuras efformatas, proximum doloris & in ſpecie illas circa articulos pedum reperibiles doloris etiam podagrici ſubjectum exiſtere, probabile videtur.

§. 9.

Dolores hos per intervalla recurrere dictum fuit, non quod in ipſo paroxyſmo per vices remittant & redeant, perſeverant enim quamdiu cauſa vel per naturam vel per artem non corrigitur aut removetur, ſed quod paroxyſmo uno in totum ſublato, aliquatenus inducias dent, uſque dum datâ novâ causâ, denuò irruant & priſtinam ſedem repetant, quod frequentius tempore verno & autumnali obſervare licet.

§. 10.

Cauſarum cognitionis accuratæ cùm magna neceſſitas ſit, illi, qui ad felicem & optatam curationis metam pertingere ſperat, ad ipſam ætiologiam quoque nunc acceſſum facio. Cujus negotii difficultatem, quamvis equidem non ignorem, in mentem revocans, quantum hactenus tot celeberrimorum Medicorum ingenia exercuerit, ſtante interim invicto, hoſte articulari: Nihilominus tamen quid forſan inter alia veroſimile videatur, ductus variorum practicorum experientiâ, paucis proponam.

§. 11.

Ordine ergo procedendo primitus conſideranda venit Cauſa

immediata proxima, quæ eſt ipſa ſolutio continui, conſiſtens in violentâ fibrillarum nervearum & membranoſarum, ab objecto improportionato, ipſarum disjunctionem moliente, introductâ motione, quæ aliàs dicitur ſolutio continui intentata ſeu in fieri: in facto enim ſi eſt ſoluta unitas, dolor vel ceſſat vel ad minimum remittit. Inſpiciatur Helmont. de lithiaſ. c. 9. §.12.

§. 12.

Majorem, poſt hanc, conſiderationem mereri videtur Cauſa mediata propinqua, utpote ob Authorum tùm recentiorum, tùm Veterum ſententias diverſas, maximè abſtruſa & dubia. Accuſant enim hi poſteriores, variorum vitioſorum humorum, ut bilioſorum, pituitoſorum, ſeroſorum melanchol. &c. copioſum ad articulos influxum. Illi verò cum Helmontio aciditatem fermentalem ſpiritus vitalis, à primis generationis principiis vel erroribus diætæ, ipſi impreſſam & partibus ſpermaticis hoſtilem & confermentabilem: Cum Paracelſo, Tartarum microcoſmicum reſolutum pro hâc ipsâ adſtruunt. Ad dolores autem acutos & mordicantes, inferendos, cum Salia, ob aſperam & angularem figuram, ſubjectum aptiſſimum ſint, hæcque duplicis generis aliàs exiſtant, vel acidi vel alcali, (ex quibus enixum) nomine venientia, quæ cum ſulphure & cæteris minùs activis, debito modo inter ſe cõtemperata præprimis ſuccos corporis noſtri vitales conſtituant, (uti teſtatur reſolutio eorum Chimicâ manu facta) hinc tali modo temperata, pacatum œconomiæ animalis poſt ſe relinquant ſtatum; In craſi verò ſuâ & ad ſe invicem proportione debitâ vitiata, turbas innumeras eidem adferant, & in ſpecie uti ſuprà dictum, dolorum frequentiſſimi rei fiant; inquirendum nunc, quodnam inter hæc ſalia affectus noſtri dolorifici cauſa exiſtere ſoleat?

§. 13.

Ubi ſeſe offert, ille millies mutabilis Proteus, acidum, (quod quis tartarum reſolutum, vel ſal fluorem adeptum appellet, per me licet) hoc enim quemadmodum in primis viis debitè non correctum, rectè ab Helmontio toti corpori dicitur hoſtile, hincque à recentioribus tantùm non omnium morborum Chronicorum pronuntiatur autor, uti colligere licet ex Prax. Sylv. Helmont. Williſ. Svvalvv. de acid. & alcal. Tachen. Hipp. Chimic. Etmüller Med. Hipp. Chimic. &c. ita ut pro variâ ſuâ texturâ, quæ inexplicabilite

biliter differt,& ſubjecti ratione,in hoc malum hypochondriacum, ſcorbutum, in alio calculum, in alio ſcabiem, odontalgiam, febres &c. cauſetur; ſic & hoc ipſum dolorum podagricorum præcipuum autorem eſſe, ſuadent ſeqq. niſi ſingulatim, collectivè tamen conſiderata: (1.) Dolor acutiſſimus,ab acido acri, fibras nerveas rodentis & ſcindentis, optimè derivandus. (2.) Febris plus minus intenſa, dum acidum hoc,vel ex primis viis,vel aliis partibus, ut glanduloſo genere,ad M. S.delatum,eam ad præt.natur.ebullitionem diſponit. (3.) Quod ea ſubjecta,in quibus acidum prętet naturā luxuriat,frequentius hoc mali genere corripiantur, ut ſcorbutici, hypochondriaci, nephritici. Præprimis verò poſteriores ſubinde fieri podagricos & vice verſa, præter Autorum obſervationes varias, experientia quotidiana teſtatur. Vid. Williſ. de arthrit. ſub fine. (4.) quod in ipſo paroxyſmo à plurimis ægris urinæ mingantur limpidæ, manifeſtum acidum & quaſi merum acetum ſpirantes, teſte eodem Williſ. l. c. Graaf. de ſucc. pancreat. p. m. 608. (5.) Quod Oenopotis magis ſamiliares ſint dolores podagrici, propter vini ejusque ſubtilis acidi abuſum. (6) Juvantia & Nocentia. Paroxyſmi enim per ſalia urinoſa volatilia,acidum invertentia, ut & ſulphurea idem temperantia, optimè, vel tolluntur vel mitigantur, imò ſæpiſſimè per horum uſum præverti poſſunt. E contra acida, podagricis quemadmodum vulneratis perquàm nociva ſunt interius aſſumpta. Exemplum cujuſdam per ſpiritus ſulphuris uſum arthritici facti & per alcalia reſtituti vid. in Tachen. Hipp. Chim. p. 251. Quæ & alia de acidi præt. nat. præſentiam & communi podagricorum tortore ſatis teſtari,reor.

§. 14.

Quemadmodum verò ſalium, â craſi & texturâ ſeminali dependens in finita diverſitas eſt, ita ut inter alcalia, aliud ſit abſynthij, aliud cochleariæ, aliud Tartari vini, aliud animalium; inter acida aliud Aceti,ſalis commun. aliud,Vitrioli,Tartari & cæterorum vegetabilium aliud, ſic & acidum hoc podagricum ſui generis,peculiari nempe texturâ & ſpecifico ſapore præditum eſſe, ſatis vero-ſimile eſt. Confer. Medic. Hipp. Chim. loc. ſuprà cit. Etmüll.

§. 15.

Operæ pretium nunc erit, porrò inquirere, ubinam acoris hujus p. n. minera ſeu locus natalis, in quo temporis progreſſu incremen-

crementa ſumat & quomodo hinc Naturæ noſtræ moleſtus, quaſque per vias ad determinatum locum & in ſpecie utplurimum, articulos, deferatur.

§. 16.

Primum quod ſpectat, non abſurde forſan ſuſpicari licet, acidum hoc podagricum generari & coacervari frequentius in primis vijs, ex vitiis primæ concoctionis. Hæc etſi variis modis vitiari atque depravari poſsit, depravata verò comuniter dicatur cruditas, eaque vel nidoroſa vel acida: illa, quando aſſumpta alimenta in liquamen putridum, tetri odoris & ſaporis corrumpuntur, hæc quando aſſumpta nimium cum viſcoſitate & fixitate majori vel minori, aceſcunt. Inſignem tamen latitudinem adhuc patitur poſterior ſpecies, quatenus nempe accidum, non ſolùm ſub motu fermentativo inſignes & inexplicabiles mutationes ſubit, generaliter in volatilitate, fixitate, acrimonia majori vel minori, &c. conſiſtentes, ſed & in quanto peccans, à Sale volatili oleoſo bilis, debitè non mutatur & corrigitur; hinc partim ad M.S. delatum, ibidem δυσκρασίαν accido-ſalſam introducit, partim in primis viis hærens, per moram longiorem, fermenti morboſi naturam induit adeoque pro diverſa ſui & ſubjecti conditione, varios effectus morboſos & utplurimum chronicos, interque hos quoque dolores arthriticos edere potens eſt. Et huic ſententiæ probabilitatem adferunt ſeqq. (1) quòd errores in diæta commiſsi, maximè accelerent paroxyſmos arthriticos. (2) Circa invaſionem utpl. tragœdia ludatur circa ventriculi & inteſtinorum regionem, uti teſtantu[r] appetitus dejectus, dolores ventriculi, borborygmi ventris, tormi[-]na colica. vid. Rollfinc. epit. cogn. & cur. part. aff. p. 382. (3) Præſervatio per vomitoria repetita, (quæ à plurimis doctiſsimis Medicis hodiè, in hoc puncto, pro arcano habentur) item Martialia & Saturnina optimè inſtituatur. Martialia verò virtutem ſuam ultr[a] primas vias non exerere, Tachen. Hipp. Chimic. p. 249. oſtendi[t]

§. 17.

Frequentius hoc contingere in prima corporis noſtri culin[a] dixi ſuperius, admittendo ſic quoque aliorum doctiorum (quib[us] contradicere animus non eſt) virorum hypotheſes, cauſam morb[i-] ficam in glanduloſo genere affecto, ut & viſceribus non ritè ſ[uo] munere fungentibus, radicatam eſſe, aſſerentium: quamvis h[o-]

rum v

rum vitia, vitia coctionis primæ ſæpiſsimè præcedere, probabile ſit.

§. 18.

Hoc ergò acidum ſenſim in primis viis coacervatum & aliquatenus quieſcens, tandem per quascunque cauſas occaſionales, & præcipuè diætæ minus legitimum uſum, in motum concitatum, mediante motu fermentativo p. n. inflationes, tormina colica aliasque abdominis turbas excitat, hinc cum lympha ad cor delatum, fortius fermentando æſtum febrilem nunc leviorem nunc intenſiorem: in ſuperioribus verò partibus, quatenus glanduloſum genus affectum, hinc lympha vitiata eſt, defluxionis ſenſum, horripilationes aliasque partium ſenſibilium moleſtias cauſatur, uſque dum per arterias, Naturæ conatu laudabili, ad partium extremitates & in ſpecie oſſium articulationes, ſub lymphæ vehiculo, ablegetur, fibras nerveas & membraneas ibi exiſtentes rodat, hincque dolorem intenſiſſimum inferat, Synoviam ſeu mucilaginem illam pellucidam, oſſium capita oblinentem, acore ſuo inficiat, tandemque in materiam ejuſm. gypſeam coagulando, tophos iſtos ſeu nodos, formet. De quo vid. Helm. Tract. volup. viv. morb. p. m. 314. §. 20. 21.

§. 19.

Notum autem eſt, interdum podagram affligere cum tumore, eoque vel œdematoſo (& tunc vocatur die kalte Gicht/) nunc eryſipelaceo, cum ſummo ardoris ſenſu & dolore pulſante (die hitzige Gicht) conjuncto; Cujus cauſa videtur conſiſtere, juxta mentem Cl. D. D. Etmülleri, pract. Lipſiens. celeberr. in MS. in diverſitate hujus acoris; hic enim interdum plus minus acris, & volatilis tamen eſt, unde ſeſe latius diffundendo, vaſa capillaria hinc inde diſperſa cum fibris ſtringit, motum ſanguinis retardat, & tumorem eryſipelaceum, cum ſummo ſæpè ardore, propter vitioſam ſanguinis ſtagnantis fermentationem, cauſatur: interdum verò ille magis fixus & ſubjecto viſcido involutus eſt, profundiusque magis hæret, hinc motum lymphæ retrogadum inhibendo, cauſatur ejusmodi tumorem oedematoſum.

§. 20.

Vias, quod ſpectat, pro iis quidem veneranda antiquitas, motu ſanguinis tum temporis non adeò patente, adducebat venas,

per

per quas humores tum laudabiles tum vitioſi ad corporis peripheriam deferantur. Williſius verò uti non unam viam, ita nec unum humorem hujus cauſæ morbificæ vehiculum, agnoſcit, ſed geminos requirit nempe, ſanguinem arterioſum, per arterias ad partes deferendum, ex eoque depoſitam ad articulos materiam Salinam ſeu Tartaream, & hanc vocat ſemen fœmininum; Deinde verò liquorem nerveum ad acetoſitatem vergentem, ſimiliter ad articulorum confinia per nerveos canales depoſitum & hunc exiſtere ſemen maſculinum, quod cum priori ſemine effervescentiam & pugnam ineat, membranarum ac tendinum fibras vellicet, & ſic paroxysmum excitet. Alii adſtruunt vaſa lymphatica, prætendentes, lympham hoſtili acido impraegnatam per hæc ipſa ad partes amandari, easque rodere. Verùm, cùm & prioribus & poſterioribus lympham per vaſa lymphatica partibus adducendam, accuſantibus, ipſe motus tùm ſanguinis venoſi tum lymphæ retrogadus contradicat: Williſii verò ut & cæterorum Anglorum hypotheſis de liquore nerveo, per nervos movendo, pluribus adhuc involuta ſit difficultatibus, quas legere licet, in Barthol. ſpicileg. de vaſ. lymphat. c. 3. it. in Tr. Regner. de Graaf. de ſucc. pancreat. p. 527. hinc à pauciſſimis admiſſa, veritati magis conſentaneum erit, cùm viæ nullæ aliæ proſtent, per arterias ſal hoc acetoſum, cum lymphâ roridâ ſub ſanguinis purpura latente, & omnibus partibus, ex probabili Excell. D. D. Bohnii P. P. Lipſienſ. in diſput. phyſiol. de nutrit. §. 5. aliorumque aſſecto, pro nutrimento inſerviente, ad articulationes deferri, ibidemque connexas partes ſenſiles rodere & dolorificè afficere, in cavitatibus verò ipſis tophos efficere.

§. 21.

Dubium autem hic oritur, an dolores iſti ſaltem dependeant à ſimplici acido acri, partes ſenſu præditas vellicante & rodente, an verò aliquo modo quoque dependeant ab effervescentia cujusdam motu, inter particulas ſalinas diverſæ indolis, in parte affectâ ſeu articulis congeſtas, quemadmodum Williſius aliiqu[e] moderni ſtatuunt. Liquor nerveus autem cùm pro tempore admitti nondum valeat, ut §. præced dictum, aliorum verò de hâc ipſ[a] re hypotheſes, minùs adhuc defendere liceat, hactenus affirmar[e] nolo, nec tamen, ſi quis per rationes firmiores verificare ha[n]c

ipſam

ipſam, de effervescentia, ſententiam conetur, temerè contradicam, cum per experientiam mihi notum ſit, in ejusmodi podagræ ſpecie, quæ cum tumore eriſipelaceo & ardoris ſenſu affligit, & §.12. ab acido magis volatili deducta eſt, à ſalibus oleoſis volatilibus externè illitis, dolores inſigniter exaſperari, confirmante hoc quoque Sylvio in prax. de febb. arthrit. forſan propter hanc ipſam ebullitionem inter acidum morbificum & alcalia hæcce oleoſa, excitatam. Cui ſimile in cancro ab applicatione alcalium fortiorum contigiſſe, obſervatum eſt.

§. 22.

Reſtat jam quæſtio illa inter autores tantopere agitata, cur humor arthriticus, articulis adeò infeſtus & ad illos utplurimum deferatur? Quæ, cum multorum Clariſs. virorum ingenia hactenus torſerit, re nihilominus æquè dubiâ exiſtente, facillimè me excuſatum iri, ſi de hâc ipsâ, ſententiam meam ſuſpendam, nullus dubito, aliorum interim hypotheſes ſubſtituens & quantum probabilitatis ſingulæ foveant, cujuscunque judicio meliori relinquens.

§. 23.

Communiter itaque ſupponunt, cauſam hujus eſſe articulorum debilitatem, quâ iidem inepti ſint, ad avertendos à ſe humores noxios: verùm, cùm podagra, quendam, quem nunquam, & quidem in parte aliàs optimè ſana affligat, quod non raro fit, quid tum dicendum? Inſuper & negat in confirmatis etiam Podagricis talem articulorum debilitatem Höfer. in Hercul. Med. p. 259. pro exemplo ſeipſum adducens. Melius proin rem explicare volens idem l. c. præter humoris ſeroſi quantum & acrimoniam, aliquid peculiare adhuc adeſſe, aſſerit, quod articulis potiſſimum infeſtum ſit, in iisque, in minimâ quantitate, maximos dolores creet, tandemque cum Sennerto tranſit ad occultam & inexplicabilem qualitatem: quemadmodum & Paręus facit, occultum quoddam venenum accuſans. Sed & hi dum aliquid dicunt, potius nil dixiſſe videntur & animo curioſo parum ſatis faciunt.

§. 24.

Alii, & præprimis Fernelii hypotheſin magis illuſtrare conantes, rem ſic explicant, nempe quatenus interdum in paroxyſmi principio quædam pathemata circa capitis & ſpinalem regionem percipiantur, ut vertigines, cephalalgia, dolor dorſi, & claviculæ,

 horri-

horripilationes &c. ſuſpicantur, materiam hanc morbificam, inter integumenta ſpinalis medullæ ad nervos urgeri, & per hos ad articulos per muſculorum compagem, ita, ut inter integumenta, & ipſam ſubſtantiam medulloſam, tùm nervorum tùm ſpinalis medullæ, iter ſuum faciat. Hujus verò ſententiæ difficultatem, quilibet primo intuitu animadvertere poterit.

§. 25.

Ex Chimicorum ordine, quidam accuſant ex una parte, aciditatem quandam præter naturam, in juncturarum ſynoviâ, vel ab obſtructo nervo aliquo ad illas tendente, hincque ſpirituum animalium (omne acre aliàs temperantium juxta Excell. D. D. Bohn in diſput. phyſiol.) influxu denegato, vel etiam aliis ex cauſis, dependens: Ex alterâ verò ſal urinoſum, in ſanguine copioſum exiſtens, quod dum per arterias ad oſſium juncturas feratur, proprium & mitius acidum, quo aliàs ſecundùm naturam ſaturatum ſit ſeu temperatum, deſerere & fortius iſtud in juncturis arripere, cumque eoque pugnam ineundo, dolores iſtos excitare: Hujusque veritatem probant ex operationibus chimicis. vid. Tachen. Hipp. Chimic. p. 105. qui hanc ob cauſam, ſal volatile viperarum, acido certo ſpecificatum & temperatum, inſigniter arthriticis commendat.

§. 26.

Alii denique & qui corpuſculari philoſophiæ addicti ſunt, ſi podagra partem aliàs ſanam affligat, ſupponunt peculiarem partium ſolidarum, quoad porulos minimos conformationem, quæ apta ſit, magis hoc quàm illud acidum cum ſanguine oberrans, recipiendi; v. g. ſi renum conformatio mechanica, quoad porulos reſpondeat acido cum ſanguine, præter naturam circumvagante, facilius hoc à renibus quàm aliis partibus recipi & iſchuriam, dolores graves, inflammationem oriri. Hinc ſimili modo de articulis hoc dicendum eſſe, ſtatuunt. Si verò paroxyſmus unus vel alter prægreſſus jam ſit & denuò redeat, vel podagra frigus immane perpeſſum, contuſiones, vel alias ejuſmodi cauſas ſequatur, fieri hoc propter fibrarum robur debilitatum, hinc inſufficiens expulſioni materiæ morbificæ, ut & fermentum ſpecificum à priori paroxyſmo relictum & denuò reſuſcitatum, dicunt: exemplis deductis ab eryſipelate, pleuritide, odontalgiâ, partem ſemel affectam utplurimum rurſus repetentibus. Quæ variæ hypotheſes ſi vel minus probabiles

biles, vel nimis ſubtiles, vel inſufficientes videantur, inſpiciatur Helmont. Tract. volup. viv. morb. & hujus veſtigia legens Tachen. Tract. Morb. princeps ut & Clariſſ. D. D. J. J. Harder. P. P. Baſil. Diſs. de arthrit. Sepulchreto Theoph. Boneti inſerta, an forſan exſpectationi magis ſatisfaciant.

§. 27.

Tranſeo nunc ad cauſas naturales, inter quas præcipua eſt Diſpoſitio hæreditaria, quæ quomodo proli introducatur, vid. Helmont. Tract. ſuprà cit. qui explicat, obſcurè quidem, per characterem morbificum ſpiritui vitali, hinc genitali impreſſum & potentiâ ſaltem inexiſtentem, uſque dum temporis progreſſu actu ſeſe exerat & ſimile mali genus fabricet. Prætera ſubjecta, quorum M. S. acido magis prægnans eſt, aliàs melancholicorum, atrabilariorum nomine venientia ad hunc affectum ſunt procliviora. Item ætas conſiſtens præ aliâ, puerili tamen non penitus exceptâ. Sexus muliebris quamvis ab Hipp. olim excipiebatur, ejus tamen creſcente luxuriâ quid mirandum, ejus etiam morbos multiplicari.

§. 28.

Excipit has Aër, inter cauſas externas magni momenti, & ſanæ morboſæque vitæ faber. Hic enim quemadmodum varias mutationes ſubit, ſic & in corpore noſtro eaſdem cauſatur: & has ipſas viciſſitudines aëris in cauſa eſſe reor, quòd podagrici frequentiùs circa vernum & autumnale tempus decumbant. Quoad illud quidem, quod tùm temporis aër particulis fermenteſcibilibus, è poris terræ, calore ſolis recluſis, exhalantibus, magis ſcateat, quæ quosvis humores noſtros, & ſic etiam hoſtem hunc dormientem exſuſcitent, & in motum agant, uti hoc teſtantur varii alii morbi circa vernum tempus affligentes. Quoad poſterius verò, quatenus tùm temporis, aër magis particulis rigidis, ſecundùm quoſdam acidis, repletus, cutis reticulare corpus corrugat, ejusque poros conſtringit, hinc tranſpirationem noſtram inſenſilem impediendo, lympham cæterosque humores inficiendo, & in motu ſuo retardando, (unde affectus catarrhales tùm temporis frequentiores) variorumque vitiosorum humorum in corpore noſtro, aggeriei anſam præbendo, facile diſpoſitis dolores arthriticos adfert.

§. 29.

Cibum & potum, citra leges temperantiæ uſurpatum, maxima

ma ſaluti noſtræ bella indicere, neminem latebit. Præprimis verò Liber pater fœcundiſſimus hujus ſobolis ſeu podagræ parens eſt: etſi enim aliàs parcè & nobilioris ſortis uſurpatus, ſummum naturæ noſtræ reſtaurativum & nobile Omnipotentis Dei donum ſit; immoderatè tamen ingurgitatus, mille malis ſui amantes mulctat, ut Calculo, ſtranguriâ, torminibus colicis, hepatis & lienis ſcirrhis ac frequentiſſimè doloribus arthriticis, quos ipſos magis familiares eſſe Oeno-quàm zythopotis, ipſa experientia affirmat. Acidum verò ejus eſt, quod præcipuè lædit, hoc etenim præ copiâ, in primis viis à pauculo ſale volatili oleoſo bilis, non correctum, toti corpori exiſtit hoſtile & in variis individuis, varios affectus poſt ſe relinquit, quos ſuccinctè & eleganter vid. in Medicin. Hippocr. Chimic. Etmüll. ſuprà citat.

§. 30.

Motus quantum conferat ad noſogeneſin, vel exceſſivus, vel intempeſtivo tempore inſtitutus, vel intermiſſus, quotidiè experiri licet. Cùm verò de cauſis morborum externis latius egerit Charlet. in patholog. iis ulterius enumerandis ſuperſedebo, ſaltem adhuc conſiderando

§. 31.

Venerem in excretorum & retentorum minùs legitimè contingentium numero, præcipuam; Hæc enim exceſſivè in uſum vocata, ſuos procos, primò voluptuoſis blanditiis irretitos & ineſcatos, ſub finem variè remunerare & frequentiſſimè ejus modi præmii genere afficere ſolet: Quemadmodum inter animi pathemata Ira, & excandeſcentia, ſi quid aliud, podagricorum paroxyſmos accelerans; quatenus per motum inordinatum ſanguinis & ſpirituum, ſalia magis rareſiunt, & acrimonia intenditur humorum; Venus verò ipſam ſpirituum quantitatem imminuendo, hanc introducit. Vid. Gliſſon. Anat. hepat. c. 45.

§. 32.

Ex præternaturalibus concurrunt: Nephritis & calculoſa diſpoſitio, cum qua podagra maximam habere convenientiam ſuprà dictum. Malum hypochondriacum, ſcorbutus, cui utpl. jungitur arthritis vaga, febb. tertianæ, quartanæ, dolores renum & colici. vid. Rollfinc. epit. cogn. & cur. morb. l.4.c.1.p.382. Variorum viſcerum obſtructiones, &c.

§. 33. Diſ

§. 33.

Differentiæ deſumuntur vel à cauſarum diverſitate, unde Podagra alia eſt gravior & cum intolerabilibus doloribus affligens, alia mitior: vel à ſymptomatum varietate, unde alia eſt cum inflammatione ſeu tumore eryſipelaceo, alia cum tumore œdematoſo, alia ſine tumore ſenſibili: Illa cum, hæc ſine tophis. Illa recens, alia inveterata. Hæreditaria denique alia, alia acquiſita.

§. 34.

Signa cum ſint duplicis generis, alia quæ imminentem affectum vel præſentem manifeſtant, alia quæ eventum prædicunt, illa Diagnoſticorum, hæc Prognoſticorum nomine venientia: In affectu noſtro, ſigna, quæ imminentem acceſſionem præſagiunt, ſunt ſeqq. (1) Appetitus languor. (2) Sudoris & urinæ, aliàs ſaluariter fluentis ſuppreſſio. (3) Articulorum languor & obdormiſcentia, cum dolore formicante. (4) Horripilatio, major vel levior. (5) Doloris adhuc quidem levioris perceptio, circa articulos pedũ, præprimis pollicis vel ſolius vel cæterorum quoque digitorum, ſine præcedente causâ manifeſtâ. Præſentem verò manifeſtant: (1) Dolor circa pedum articulos jam atrocior. (2) Laſſitudo & motus impotentia. (3) Tumor interdum præſens. (4) Febris, quæ utplurimum adeſt. (5) Capitis & regionis dorſalis varia pathemata, non ſemper tamen conjuncta.

§. 35.

Prognoſtica vero triplicis conſiderationis ſunt: (1) quoad ſalutem & mortem. (2) quoad tempus durationis. (3) quoad modum eventus. Eſt itaque Podagra affectus rarò quidem lethalis, maximè verò chronicus & difficillimæ eradicationis, juxta illud Poëtæ: Tollere nodoſam neſcit Medicina Podagram. Præprimis verò ſi ſit hæreditaria, item inveterata & firmas radices obtinens, cum tophis, vix ulla curationis ſpes ſupereſt, ſed utplur. totius vitæ comes individuus eſſe ſolet, niſi quis forſan ſublimiorum medicaminum, ut arcani Corallini Helmont. aliorumque poſſeſſor, eam profligare conetur. Si verò ſit adhuc recens magis, patiens verò obſequioſus, juvenis, ſæpius hodiè à cordato Medico vel penitus exſtirpatur vel prævertitur & differtur paroxyſmus. Si Podagra periodos ſuas ſervare conſueta, non revertatur (niſi accurata diæta & appropriatorum remediorum diligens adminiſtratio hujus cauſa ſit)

ſa ſit) vel præſens jam ſubitò retrocedat, graviſſimos & ſæpè lethales morbos portendit. Hôfer. Hercul. Med. l.4.c.1. p.270. Tempus eventus admodum variat, pro ægri & Medici, benè vel male ſe gerentium ratione, in genere tamen illud determinat Hipp. aph. 49. S. 6. Quibuscunque morbi podagrici fiunt, iis ſedatâ 40. diebus inflammatione, finiuntur. Citiùs verò multos evadere, obſervatis obſervandis & pro cauſarum ratione, experientia teſtatur. Quoad modum eventus, ſolvitur Podagra vel inſenſibiliter, lentè tamen per inſenſilem tranſpirationem, vel ſenſibiliter per urinam & ſudores, hocque aut per naturam aut per artem. Item per varices, quod obſervavit Avicenna. Per fluxum dyſentericum, teſte Hôfer. l. antè cit. Per hæmorrhoidum fluxum in viris, in fœminis, per menſes. Frequentius etiam per μετάςασιν materiæ morbificæ, mutatur in alios affectus, ut aſthma, colicam, nephritidem, iſchuriam, ſtranguriam, apoplexiam, &c. quemadmodum ex obſervat. Autorum ſatis ſuperque colligere licet.

§. 36.

His nunc præmiſſis, denique ſuccedit quoque curatio, quæ ut legitimè fiat, methodo rationali, ſecundùm indicationes inſtituatur & quidem vel in paroxyſmo vel extra eum. In paroxyſmo primitus quantùm poſſibile corrigatur & removeatur cauſa, ejusque productum morboſum. Deinde viribus tum præſentibus tum futuris proſpiciatur. Adeoque mens medentis ad ſequentes ſcopos dirigenda erit: (1) Acidum rodens partes nerveas temperetur & invertatur, correctumque per convenientes vias evacuetur. (2) Dolor, ſi major, quam ferendo ſunt vires, per anodyna mitigetur, ſymptomatibusque cæteris ſuccurratur. (3) Viribus profpiciatur. (4) Tophi ſi qui adſint, per convenientia remedia reſolvantur.

§. 37.

Indicatum ſeu ipſum auxilium pro ſcopis his exequendis deſumimus ex triplici fonte, Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico. Chirurgicus offert nobis V.S. quæ an in affectu ſnoſtro conducat, alii negant, ut Helmont. Höfer. l. cit. alii affirmant. Videtur tamen obſervatis quibusdam circumſtantiis, benè eam admitti poſſe, ſi nempe (1) plethora adſit, (2) in principio ſecetur juxta Hipp. l. 6. Epid. quamprimum dolor ſentitur ſtatim venam

ſecand

ſecanda. (3) Si cum inflammatione juncti ſint dolores. (4) Æger in florida & vigente adhuc ætate ſit conſtitutus. (5) In malo recenti aut non adeò inveterato, præſertim in conſtitutione calidiori. Vid. River. prax. l. 16. de arthrit. p. m. 490. Williſ. de arthrit. p. 314.

§. 38.

Hûc referri poſſe videtur, celebris & non ita pridem inventæ & ad nos ex China delatæ, lanuginis, Moxa vocatæ, ſuper partem affectam, cum baculis aromaticis incenſio, quam plurimos jam podagricos, juvenes & nonadmodum diu correptos, liberaſſe, ita ut non amplius afflicti fuerint, multi ſanctè affirmant. vid. Tr. Hermann. Buſchoff. de Moxa. Alii contra aſſerunt, quamcunque lanuginem, nec tanto pretio coëmptam, hunc effectum edere poſſe, ſaltem ab uſtione, dependentem. Alii tamen penitus reprobant hocce remedii genus.

§. 39.

Fons Pharmaceuticus, ſat copiosè ex triplici regno nobis ſuppeditat remedia, eaq; vel Evacuantia per Vomitum, per alvum, per urinam, per ſudorem: vel ſpecificè alterantia, vel anodyna interna & externa, vel denique confortantia.

§. 40.

Vomitoria, in ipſo paroxyſmo rarius quidem adhibentur, i verò ſuccorum viſcido-acidorum in ventriculo & inteſtinis hærentium ſuſpicio adſit, præmiſſis priùs digeſtivis ſalinis, ut & re exigente, clyſteribus, benè in uſum vocari poſſunt, præcipuè antimonialia ritè parata, item aſarum, Nicotiana & ejus præparata.

§. 41.

Purgantia propriè dicta & fortiora, quamvis ſuadeant practicorum nonnulli, vix tamen in uſum vocanda, niſi ſumma forte Cacochymia urgeat. Tantillum etenim ſæpius eſt, dolorum podagricorum cauſa, nèc convenienter per purgantia, vires ſalium frangentia, educibile. Si tamen ex uſu eſſe videantur, exhibeantur mitiora, laxativa magis & ſpecificè alterantia; (purgantia enim medicamenta non tantùm vitioſos humores evacuant, ſed eosdem quoque alterandi ac emendandi, & ad eductionem commodam præparandi vim habere inquit Sylv. prax. Med. l. cap. 7. 48.) uti hoc nomine veniunt Hermodactyli. Aloë & ex

hâc

hâc præparatæ pilulæ Francofurtenſes, Glaſſianæ, ex mucilagine ejus conflatæ, à D. Balthaſ. Glaſſio Archiatro Gothano autore, ſic dictæ & in quam plurimis morbis chronicis ſummoperè deprædicatæ, vel ſolæ vel cum extract. helleb. nigri, vel ubi viſcida peccant, cum gummi ammoniaco exhibitæ. Deſcript vid. in Cla. Hoffm. Schröderian. p. 105. Pilul. antipodagric. Doring quas videre licet in Scröd. Pharmacop. Medico-Chymic. l. 2. p. 258. reformatas verò in Clav. Hoffmann. ante allegat. Noduli item per epicraſin evacuantes, ex ſpecificis alterantibus & purgantibus parari poſſunt, qui à plurimis admodum laudantur.

§. 42.

Diaphoretica & diuretica appropriata, quantum conferant tùm in aliis morbis, præcipuè à lymphæ vitiis oriundis, tùm in noſtro affectu, eum experientia, Hippocrates teſtatur aph. 74. ſect. 4. dicens: qui multum urinæ & ſudoris emittunt, illi minus frequenter podagrâ tentantur.

§. 43.

Sunt autem vel ſalina, eaque volatilia vel fixa acidum invertentia & evacuantia, vel ſulphurea, idem temperantia & obtundentia: ut: ſpiritus ſalis ammoniac. quem admodum laudat Sylv. in prax. item Decker. in not. ad Prax. Barbett. ſpirit. C. C. liq. C. C. ſuccinat. D. Michaël. pract. Lipſiens. olim famigeratiſs. ſalia fixa quæcunque, ſal volat. ſuccin. quod egregium diureticum eſt. Aqua ſperm. ranar. ſemen violar. quod præſtantiſſimum temperans & nephrocarcticum. Fructus alkekeng. & ex eo parata.

§. 44.

Sulphurea temperantia ut & oleoſa ſunt ſeqq. Eſſent. myrrh. cum ſpiritu ſalis armoniaci l. ſpiritu cochlear. præparat. Elix. propriet. cum liq. alcaheſt Glauberi vel tartaro tartariſato Langelot. vel ſpiritu tartari urinoſ volat. parat. Eſſent. caſtor. Eſſent. lign. ſaſſafr. cum ſpirit. ſerpill. præparata. ſtrobulor. pini, viperarum, quam egregiam eſſe in lymphæ vitiis & dyſcraſiâ ſalino-acidâ, corrigendis, ſupra cit. D. Michaël obſervavit, in quodam lue venerea laborante, qui ab uſu hujus continuato, unguibus, cuticulâque cum pilis ſecedentibus, non ſaltem reſtitutus, ſed quaſi renovatus eſt. Eſſent. ſuccin. tinctura balſam. in-

indic. cum Tinctura Tartari parat. ſpiritus ſalis armoniaci ſuccinatus, ſpiritus vini camphoratus, qui egregius eſt, in quacunque podagræ ſpecie: Not. tamen ejuſm. oleoſa magis convenire, ubi tumor œdematoſus adeſt, quàm ubi inflammatio, vide ſuprà §. 21.

§. 45.

Ex mineralibus proſtant: Tinctura antimonii diaphoretica, ex ſulphure ejus puriori, ſingulari ratione præcipitato, parata. Cinnab. nativ. & antimonialis, quæ ſummè commendatur à celeberr. D. D. Wedel. ad articulorum dolores. Specif. cephal. D. Mich. quo de vid. Tract. recens editum Scholz. de triplici cinnabari. Tinctura coraliorum vera. Mercurius vivus, quamvis oſſibus & nervis aliàs perquàm inimicus, à quibuſdam tamen perhibetur, ſi à ſulphure ſuo arſenicali, ſingulari artificio, depuretur, evadere excellens adm. remedium ad vitia lymphæ corrigenda & fermenta morbifica, in ſpecie acida, abſorbenda, ſine omni ſalivationis notâ operans.

§. 46.

His adjungi debent, aliàs ſpecificè alterantia dicta, eò, quod ratione appropriatæ ſuæ texturæ acidum podagricum magis aggrediantur & deſtruant, deſtructumque per vias urinarias educant, quo nomine veniunt: Chæmædris, chamæpytis & ex eo varia præparata. Sal volatile Tartari, quod alcali eſt, amicabili magis conſortio & ſpeciali texturâ, acido podagrico, ſæpius à Tartaro vini acido dependente connubile & conveniens, hinc non ſine bono forſan effectu exhibendum. Præparari ſolet, vel ex fæcibus vini, ſpiritu inflammabili prius orbatis & in aëre libero hinc exiccatis, vel per ſe, vel cum ſpiritu vini affuſo: vel ex oleo Tartari deſtillato, cum alcali fixo addito & in digeſtionem poſito: vel per fermentationem juxta ductum Cl. Langelott. in epiſt. ad curioſos, item in Hoffm. Clav. Schröder, p. 604. Vel per detonationem in retortâ tubulatâ, quâ ratione ſpiritus carminativus de tribus D. Michaëlis præparatur, & egregius eſt in variis affectibus chronicis; vel denique ſi cui encheiriſis nota eſt, ex ſale tartari fixo. Elogium ejus vid. in Helmont. Præparationes verò varias in Ludovic. de volatilit. ſal. tartari. Huic ſuccedunt alia medicamenta tartarea variè præparata: ut, Liq. terr. foliat. Tartari, Tinctura nephrit. Ammelung. Lipſiæ adm. uſitata &c. Præterea ſpiritus lumbrico-

rum terreſtrium urinoſus volatilis, cum caſtoreo, tùm externè tùm internè adhibitus. Sal volat. viperar. juxta Tachen. ſpecificatum & alia.

§. 47.

Quæ ipſa nobis hactenus, (uſque dum ſublimiora medicamenta in lucem prodeant, ut: arcan. corallin. Helmont. mercurius diaphoreticus Paracelſ. lap. Butleri, ens primum veneris & quæ ſunt alia) ſufficere debent, variè pro cujuscunque lubitu & circumſtantiarum ratione, in formulas redigenda & cum judicio adhibenda; quarum unam ſaltem præcipuis ſcopis appropriatam, apponere lubet: ℞. Cinnab. antimonii optimè rectificat. ℈j. ſal. volat. Tartari ℈ij. camphor. gr. vj. laud. op. fermentat. gr. j. M. f. pulv. Div. in. 2. part. æq. item: ℞. liq. terr. fol. Tartari, ſpirit. carminat. de trib. ana ʒij. Eſſent. op. Langel. ℈j. M. D. 30.40. gt. pro doſi. Cavendum verò ne per ſuprà dicta alcalia volatilia, acidum articulos infeſtans, ſaltem in motum concitetur, & non ritè correctum ad renes aliasve partes deferatur, ibidemque iſchuriam, dolores, inflammationem, ſtranguriam aliaque mala inferat, quemadmodum Williſ. l. ſupra cit. Etmüll. in Colleg. MS. exempla allegant & frequenter contingere ſolet. Unde optimo conſilio illis addi poſſunt ſulphurea temperantia, ut cinnab. ſulphur. antimon. myrrha, camphora &c.

§. 48.

Inter ſymptomata, frequentiora ſaltem, mitiganda, primò loco ſe offert Dolor, qui ſi ſit atrocior, auferatur per anodyna & narcotica interna, ſemper tamen cum aliis cauſæ proſpicientibus juncta, & externa. Interna ſunt præcipua: Cinnabarina, camphorata, crocata, opiata, ut: laud. op. Langelot. it. Ludovic. in pharmac. p. 664. deſcriptum, Pilul. de ſtyrac. de cynogloſſ. Eſſent. anodyn. Michaël. pulvis anodyn. Ludovic. pariter in Pharmac. deſctipt. ſpiritus vini camphorat. crocatus &c. Externorum omnium inſtar poteſt eſſe ſeqq. ℞. Sapon. venet. ℥ß. camphor. ℈ij. opii, croc. ana ℈ß. digerantur cum ſpirit. arthrit. lumbricor. terreſtr. volatil. & aqua anhaltin. ana ℥j. hinc filtrentur & ad uſum ſerventur. Item linimentum nervinum Wedelii cum camphorâ additâ, quod itidem egregium. Cataplaſmata varia ex nervinis & anodynis parata, ſummitat. pini cum lacte coctæ & applicat. Emplaſtra alias varia

ria adhibentur, videtur tamen admodum cauto opus eſſe, ne un-
ctuoſitate ſuâ poros obſtruendo, tranſpirationem inſenſilem, per
quam tamen in plurimis paroxyſmus ſolvitur, impediat, & ſic ma-
lum longius protrahatur. vid. Hôfer. Hercul. Med. p. 265. Huc
referri quoque poſſunt Vinacea: die Wein-Truſen / quibus per ſe
calefactis immergitur pars affecta, cum ſummo ſæpè emolumento.

§. 49.

Febri obviam eatur per ſudorifera & præcipitantia, ut: anti-
mon. diaph. bezoard. mineral. arcan. duplicat. Mynſ. antiheſt.
Poter. cinnab. nativ. & antimon. coral. rubr. præparata, campho-
ram &c. per quæ quantum poſſibile æger in continuo madore deti-
neatur, monente Excell. D. D. Etmüll. in Colleg. MS.

§. 50.

Tumori debentur diſcutientia volatilia cum anodynis jun-
cta, ut Chamomill. origan. flor. ſambuc. herb. chamædr. cum ſac-
cul. calid. applicata. Tumor verò cùm duplex obſervetur, uti ſu-
prà monitum, nunc œdematoſus, nunc eryſipelaceus: in hoc conve-
niunt, ſalia volatilia temperata non adeò oleoſa, exceptâ campho-
râ, ut ſperm. ranar. aqua ejus deſtillata cum proprio ſale urinoſo
mixta, item: ſacch. ſaturni &c. In illo verò ſalia volatilia tùm ſim-
plicia tùm oleoſa, ut ſpirit. ſal. armoniaci cum ſpirit. vini deſtillat.
& ol. aromat. imprægnat. balſam. ſulph. ſuccinat. &c.

§. 51.

Tophos reſolvunt emollientia & attenuantia, variè ab Auto-
ribus practicis conſignata, ut: Gelatin. pedum vitul. & ſuill. cum
vetuſto acri caſeo, cataplaſm. ex mic. pan. & vitell. ovi &c. quæ, ſi
non ſufficiant, uti hos reſolvere difficile negotium eſſe conſtat, ſua-
dentur à plurimis ſalia volatilia, in ſpecie Tartari, optimè pene-
trantia & attenuantia, præcipuè cum gelatinis juncta.

§. 52.

Viribus denique proſpiciatur per appropriatam diætam, ut &
corroborantia dicta, ſelectis ex omnibus cinamomo & ambrâ, & ex
his paratis, ut: Tinctura cinamom. Eſſent. ambr. cum ſpiritu roſar.
parat. ſpec. diambr. &c.

§. 53.

De Transplantatione feliciſſimè adminiſtratâ, per ſanguinem
è parte affectâ ſcarificatâ eductum & in formicarum acervum de-

 foſſum,

foſſum, item crines, ungues in ſalicem reconditos, ut & cum variis animalibus, caponibus, turturibus &c. tentata, plurima quidem exempla allegantur: cùm tamen rationibus ſolidis nondum ſtabilita ſit hæc curandi methodus, à plurimis adhuc rejicitur; Vid. Herm. Grub. Tract. de transplantat. morb. item Diſput. de remed. ſuperſtit. Argentin. ſub præſid. D. D. Mappi habita.

§. 54.

Inducias dante dolore podagrico, omni conatu allaborandum eſt, ut quævis occaſio ipſi redeundi præſcindatur, quod fieri poſſet, methodo ſequenti inſtitutâ. (1) Acidum præter naturam ex primis viis eliminetur. (2) Digeſtio ſeu concoctio ventriculi emendanda & promovenda, hâcque mediante, acidi hujus vitioſi regeneratio præcavenda. (3) M. S. δυσκρασία ſalino-acida corrigenda. (4) Si obſtructiones viſcerum adſint, eæ tollendæ.

§. 55.

Pro primâ ergo intentione obtinendâ, neceſſe eſt exhibere, præmiſſis prius appropriatis digeſtivis: (1) Vomitoria, præprimis ſi acido-viſcidum, ex fermentatione alimentorum vitioſa relictum, in ventriculo & ejus vicinia hæreat; hæc etenim optime ad præſervationem podagræ conferre, per experientiam multorum Clariſſ. Medicorum conſtat, uti ſupra §. 9. cap. 3. dictum. Repeti poſſunt bis, ter, pro neceſſitatis exigentia. (2) Purgantia appropriata ſuprà nominata, aliquoties præpr. verò circa æquinoctia in uſum vocari poſſunt, cum alterantibus combinata, ſub nodulorum vel quâcunque gratiori forſan formâ. (3) Transeundum, mox poſt vomitoria ad ejusmodi medicamenta, quæ vim acida abſorbendi poſſident, qualia ſunt: (1) Martialia, vel à naturâ præparata, ut: acidulæ varii generis, vel ab arte: ut tinctura vitrioli mart. ZWöff. Eſſent. mart cum ſucc. pomor. quæ paulò debiliores ſunt, & ſaltem ubi ventriculus minùs robuſtus eſt, adhiberi poſſunt: Robuſtior verò ubi hic eſt, egregii effectus eſt liquor miner. mart. ſol. in Haſſiâ & Thuringiâ circa Salfeldiam ut & Numburgum reperibilis, præſertim junctus cum liq. Terræ foliat. tartari, unde in momento exurgit liquor rubicundiſſimus, in plurimis morbis chronicis admodum ſalutaris, item limatur. mart. in alcool redacta & oleo deſtillato cinnamom. l. lign. ſaſſafras irrorata &c. quæ ſi comitetur alvi quædam ſegnities, uti non rarò fieri ſolet, interpo-

nantu

antur laxantia: ut pilul. Sylv. in prax. cap. 14. §. 50. deſcript. em tartareæ, de gumm. armoniaco, cum alis miſtæ. (2) Saturnina, acidos humores invertentia & optimè edulcorantia, ritè præparata, ut: Sacch. ſaturni, & ex hoc cum vitriolo mart. compoſita tinctura antiphtiſica dicta, cryſtall. miner. Saturni cum acedeſtillat o, per ſpiritum nitri acuat. parati. (3) Solaria vel præparata v. g. ſi aurum refinatum cum ſpirit. ſalis rectificato tractetur, ſolutio, flavicoloris, ad gr. vj. viij. & utra exhibeatur, fæces non minus ac ipſa martialia, nigro colore tingens & egregiè ſæpe mucum viſcidum reſolvens & per alvum educens, teſte D. D. Etmüller. in commentar, MS. ſupra Ludovic. Pharm. vel non præparata & ſaltem ſub globulorum forma exhibita. Obſervatum enim ejusmodi globulos aureos à melancholicis & hypochondriacis deglutitos minori pondere cum ſenſibili ægrorum levamine redditos fuiſſe per inferiora. (4) Salina fixa & terrea: ut ſalia alcalia quæcunque, CC. uſt. coral. ocul. 69. quæ tamen cum cautione exhibeantur.

§. 56.

Secundum ſcopum exequuntur Aromatica, fermentationem ſumptorum ciborum adjuvantia, & ſalina, ſtomachum extergentia & purum conſervantia: qualia ſunt: Mentha criſpa, acorus verus, cinnamom. coſtus caryophyll. Xylo aloës & ex hac parat a eſſent. balſamica Wedel. cubeb. ſal armoniac. l. flor. ejus, arcan. duplicat. Mynſ. & ex his cum aromaticis compoſitus pulvis ſtomachalis D. Michaël ſupra allegat. Elix. vitriol. Mynſ. Elix. proprietat. cum tartaro crudo & ſale tartari puriſs. per ferment. paratum, Eſſent. myrrh. tartarus vitriolat. Tachenii, arcanum tartari, volat. oleoſum Sylv. Elix. vit. Matth. ſpiritus vini aromaticis iis & ambra (quæ articulis admodum ſalutaris eſſe dicitur) impregnatus. Quæ ipſa certo tempore, i. e. alia ante, alia inter vel post ciborum aſſumptionem, adhiberi debent.

§. 57.

Tertius ſcopus expetit ſudorifera & diuretica appropriata, quæ cum ſuperius ſat copioſè recenſita ſint ulteriori eorum enumerationi hic ſuperſedebo. Certum vero eſt, hæc ipſa M. S. optime & magis una vice quàm decies exhibita purgantia, purificare, illumque in ea luxurians, proſcribere, hinc quoque in affectu

præſenti

præſenti, ſi quid aliud, tùm in curationis tùm præſervationis puncto eſſe egregia, & docet experientia, eos, qui convenientia diaphoretica & diuretica in uſu habent, rarius & mitius à podagra infeſtari. Sic novi paſtorem Miſnicum propè Lipſiam, ſeſe per ſpiritum CC. ſpirit. cochlear. cum camphora, certis vicibus uſurpatum, per totum annum optimè præſervantem, qui tamen, quamprimùm hæc intermiſerit & contra diætæ leges vel tantillum ſimul peccaverit, atrociter ſtatim vexatur.

§. 57.

Juxta hæc pro circumſtantiarum & individui ratione, fonticuli excitari poſſunt, qui, quemadmodum in plurimis morbis chronicis, præſervandi fine, maximè conferunt, ita & noſtro in affectu, non ſine emolumento geſtantur. Nec audiendi in hoc paſſu, cum Helmontio, ſunt alii, hos ipſos damnantes, experientia namque aliud loquitur.

§. 58.

Viſcerum obſtructiones, ſi adhuc remediis pareant, per ſuprà enumerata, debito ordine adhibita per ſe ſolventur, ideoque plura de iis non dicens, unum adhuc conſiderabo, quod complementum curæ addere poſſet, ſummæ efficaciæ in debellando penitus hoc hoſte, ex ſuffragio plurimorum Authorum, exiſtens, nempe Curam Lacteam: die Milch-Cur. Ubi quidam præmiſſis præmittendis, quotidie potum lactis laudabilis hauriunt, aſcendendo & deſcendendo, uti in acidularum uſu fieri ſolet, & per unum vel alterum menſem hoc continuando. Nec ſine bono ſucceſſu, ſi nempe prius benè mundatæ ſint primæ viæ & M. S. hoc remedii genus in uſum vocari poſſe autumo, ob oleoſam, hinc acrimoniam humorum temperantem, partem lactis, ut & nitroſam abſtergentem & diureticam, ſero ejus in exiſtentem. Non ſemper quidem optatum effectum inde obſervari, affirmat Williſ. de arthrit. ſub fine, quod tamen ob intermiſſa prærequiſita, contingere potuit: inſuperque, ſi quæ metuenda eſſent incommoda, hæc ipſa præverti poſſent, ſi lacti, quemadmodum in ſcorbuticis fieri ſolet, addantur ſpiritus cochlear. item Ocul. Cancri vel ad imitat. Tackii ſacchar. & ovi contenta. vid. ejus Chryſogon. animal. & mineral. p. 148. & alia, ſic enim prohibetur ejus caſeatio. Interim verò ſi obſervatis obſervandis, ægro nihilominus convenire non videatur, ob ſingularem cuique indivi-

duo

duo ferè propriam, nullatenus verò explicabilem, idio-ſyncraſiam, melius abuſu ejus abſtinetur.

§. 59.

Diætam quod ſpectat, hæc optima ſæpè medicina eſt podagricorum, ideoque hi ſalutis ſuæ curam gerentes, exactiſſimè hanc ſervent, neceſſe eſt & requirit: (1.) Moderatum & accuratum cibi & potus uſum, ne vel in nimia quantitate aſſumpti, ventriculo & ejus fermento digeſtivo negotium faceſſant, hinc novæ cruditates generentur: vel qualitate in ſpecie acidâ ſint ſuſpecti, qui maximè hoſtiles, item ſale volatili, depauperati, hinc concoctu difficiles, ut carnes fumo induratæ, ſalitæ, piſces indurati, pinguia adm. &c. vel antecedenti cibo nondum concocto; recens ingeratur, vel nondum debitè & ſufficienter maſticati cibi deglutiantur. Sed eligantur εὔπεπτοι & laudabilem ſuccum ſuppeditantes. Interdum poſt paſtum ambra uſurpetur vel in eſſent. formâ cum tinctura cinam. vel cum ſacch. in ſubſtantia vel cum ſpiritu vini aromatico, quæ digeſtionem non parum adjuvant. Potus poteſt eſſe Vinum generoſum, ſed aquâ dilutum & parcâ manu exhibitum, reſpiciendo tamen individua. (2.) Eligatur aër temperatus, purus & ſerenus, vitetur frigidus & aſper, humidusque. (3.) inſtituatur motus moderatus ante prandium & cœnam. (4.) Somnus & vigiliæ modum non excedant. (5.) Excernendorum habeatur ratio, inprimis alvus ſervetur aperta. Veneris verò immoderatus uſus, ut peſtis vitetur, quemadmodum non minus (6.) Ira & excandeſcentia, utpote quibus nil frequentius paroxyſmos podagricos accelerat. Mens verò ad tranquillitatem & hilaritatem diſponatur.

§. 60.

Hiſce nunc pro ingenii modulo pertractatis ſubſiſto, Deo T. O. M. immortales gratias, agens, quod huic negotio, ſuâ benedictione deeſſe non voluerit: Benevolum verò lectorem obnixè rogans, ſi quæ forſan in diſſertatione præſenti, ruditer ſaltem elaboratâ, occurrant, quæ minus arrideant, illa ipſa boni conſulere dignetur, animoque volvat tritum illud: Qui nunquam malè, nunquàm bene.

S. D. G.

F I N I S.